


erat ecclesia, & ideo non publicè siebat fidei protestatio. Aliud symbolum. s. Credo in vnum Deum est concilij Nicæni, vel Apostolorum insimul congregatorum, præcipue ad extirpatiō nem, & expugnationem illius hæresis, quæ dicebatur adoratiō nem, non debere exhiberi. s. Aliud symbolum. s. Quicunque vult saluus esse composituit Athanasius ad expugnationem illius hæ resis, quæ dicebat contra incarnationē, & mortuorum resurre ctionem, & dicuntur illa duo ultima alta voce; quia tunc siebat publicè fidei protestatio. ideo primū symbolum ad fidei instru ctionem. secundum ad fidei explanationem: tertium ad fidei defensionem secundum albertum in suo compendio & Bona. in libro sententiarum.



*A*Ec est catholica, sincera fides, & amica

A Christo lata, per discipulos publicata.

Signis firmata, diuina lege probata.

*Declaratur Fidem pluribus modis accipi, & que sit eius definitio.*



N ista parte auctor noster epilogat: dicēs, quod hæc quæ dicta est: est fides catholica ornata articulis supradictis, &c. Pro cuius profundi ori declaratione, est notandum, q[uod] fides sumitur pluribus modis. uno modo pro sacramento baptisi mi. 45. d. i. c. de Iudeis, & per beatum Augustinū ad Bonifacium dicentem. quid est parvulos habere fidem: nisi Baptisini sacramentum? Alio modo sumitur fides pro castitate Thori 27. q. 2. c. coniuges, & prima ad Thimoth. 5. primam fidem. i. thori castitatem, irritam fecerunt. Alio modo fides idem est, quod securitas, siue pactum 23. q. 1. c. Noli. Alio modo fides idem est, q[uod] conscientia 28. q. 1. c. 1. Et ad Roma. 14. Omne quod non est ex fide. i. conscientia peccatum est. Alio modo fides idem est, quod fidelitas, Proverb. 20. viri fidem. i. fidelitatem, quis inueniet.